



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in judicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

Qvæstio IX. In Tit. IX. Ne Sede Vacante Aliquid Innovetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](#)

198 Tract. in Lib. III. Decretal. Quæstio IX.

Not. 7. Legatos à latere, post concordata Germania inter Nicolaum V. suo, & Successorum nomine, ac Fridericum III. Imperatorem, aliosque Principes, & Prælatos Germaniæ ex altera parte circa beneficia non reservata, sed subiecta provisioni Ordinariorum, probabiliter nihil posse in Germania, ea suæ provisioni reservando, prout alias possunt de jure communi; si enim Pontifex in vi eorum Concordatorum ipse statuit, ac promisit, se nolle in illis provisionem Ordinariorum impedire *preveniendo*, vel *reservando*, nequit non esse valde prudenter credibile, nec Legatos id posse contra expressum verbum Papæ, talis autem promissio habetur in Concordatis Germaniæ, §. in Cœteris vero, de quibus à n. 566.

849 Not. 8. quamvis aperti juris sit, promissiones beneficiorum, etiam *sub clausula generali* (quando potero, vel, cùm se obtulerit occasio) esse non tantum illicitas, sed etiam irritas, ac nullas jure novo decretalium, ut constat ex c. *Detectanda*, relato supr. posse tamen distinguiri *promissionem* in eam, quæ supplicanti faciat *solanam spem* obtainendi beneficium, quod vacaverit;

QVÆSTIO IX.  
IN TIT. IX. NE SEDE VACANTE  
ALIQUID INNOVETUR.

850 Cum hactenus egerimus de modo, quo Ecclesiis providendum sit in casu, quo illis Clericus, qui in eis ex officio divina peragat, præficiendus est, ac id regulariter penes Episcopos, & Prælatos Ecclesiæ, quibus id jus, ratione suæ dignitatis, vel muneric competit, residet: quaestioni, quæ fieri posset, quid agendum, si talis Ecclesia esset vidiua, hoc est, careret tunc Prælato (ut si obiisset &c.) & occurreret casus, quo alicui Ecclesiæ inferiori de Rectore novo, vel beneficiato providendum foret: hoc titulus responderetur. Per *sedem* hic intelligitur sedes Episcopalis, vel alia Prælatura, aut dignitas inferior cui facultas conferendi beneficia, vel alia jurisdictione competit, sic *Gloss. in c. I. de reb. Eccles. non alien. in 6. V. Ecclesia*. Per *vacantem*,

seu *vacationem venit*, quælibet *vacatio sedis*, sive per mortem, sive per renunciationem, translationem, aut modum alium, quo titulus, sive *Prælaturæ amittitur*, sic *Gloss. in c. unic. h. t. in 6. V. mortuo*: in Horticensi in summa *h. t. n. 2.* id extendit ad vacationem beneficii *solum interpretativam*, quando scilicet Episcopus, vel Prælatus *de jure est mutabilis* ad agendum; ut, si sit hereticus, excommunicatus, suspensus &c. tunc enim dicitur *vacare interpretative*. *Sedes* igitur *vacans* hic intelligitur quælibet Ecclesia Cathedralis, Collegiata, vel etiam Conventus Regularis, habens rationem Capituli, & carens Antistite suo, & hæc *vacatio durat*, dum ei de novo provisum sit: quæstio igitur est, penes quem in casu *sedis taliter vacantis* potestas, & jurisdictione sit?

ARTI-

ARTICULUS I.

Ad quem devolvatur iurisdictio, & administratio Sede vacante?

851 IN hac questione communis tenet, quod Sede vacante in iurisdictione, ac administratione succedat Capitulum, per c. his, que 11. de Major. & cod. ibi: Quando autem Ecclesia ipsa Cardinali vacabit Capellani, & Clerici memorati eidem Ecclesie reverenter exhibeant omnia supradicta, excepto, quod de correctione, & excommunicatione, & suspensione ipsorum, pro bono pacis, nostra providentia reservamus. & c. cum olim 14. cod. ibi: mandantes eisdem, ut, cum Ecclesia Messan. vacet ad presens, electionem suam confirmanda presentetur Capitulo Messanensi. Hinc generalis regula est, quod Capitulum Sede vacante possit facere omnia, quae sunt iurisdictionis ordinariae, & necessariae, nisi aliqua expressè illi prohibita, vel excepta reperiantur, ut colligitur ex illis verbis in c. 11. ibi: excepto, quod de correctione, excommunicatione, & suspensione ipsorum, pro bono pacis, nostra providentia reservamus; & hanc facultatem nec mutatam, nec diminutam esse à Trident. sess. 24. de reform. c. 16. tradit Filiuci tom. 3. tr. 41. c. 2. n. 4.

852 Tridentinum loco cit, sicut habet: Capitulum, Sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum, vel plures fideles, ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiastica rum, & proventuum curam gerent, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Item Officiale, seu Vicarium infra octo dies, post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare, omnino teneatur, qui saltem in jure Canonico sit Doctor, vel Licentarius, vel alias, quantum fieri poterit idoneus; si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. Et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta, Oeconomum, & vicarium idoneos possit constitui. Episcopus vero ad eandem Ecclesiam vacantem promotus ex iis, quae ad eum spectant, ab

eisdem oecono, vicario, & aliis, qui buscunque officialibus, & administratoribus (qui Sede vacante fuerunt à Capitulo, vel ab aliis in ejus locum constituti, etiamsi fuerint ex eodem Capitulo) rationem exigat officiorum, iurisdictionis, administrationis, aut cuiuscunque eorum munieris, possitque eos punire, qui in eorum officio, seu administratione deliquerint, etiamsi predicti officiales redditis rationibus à Capitulo, vel à deputatis ab eodem dissolutionem, aut liberationem obtinuerint. Eadem quoque Episcopo teneatur Capitulum, de scripturis ad Ecclesiam pertinentibus, si quæ ad Capitulum pervenerint, rationem reddere.

Ex his iuribus videtur deduci ea procedere de Capitulo Ecclesiae Cathedralis; de hoc enim loquitur Tridentinum, & c. Cum olim 14. ut pater insipienti textum; & quamvis c. His que 11. loquatur de vacante Ecclesia, cui Cardinalis præcerat, tum etiam de hoc casu idem dicendum est; quia Cardinales Ecclesiae Romanæ Ordinariam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent in Ecclesiis sui tituli, & consequenter in Parochias, & Capellas, & Clericos earundem, quæ Ecclesiae illi principali pleno jure subjecta sunt; ita notavit Innocentius in c. 2. de Capillis Monach. Joan. Monachus in c. unic. h. t. in 6.

Difficultas tamen est, an idem procedat de Capitulo in casu, quo vacat Sedes, seu Ecclesia non Episcopalis, sive Secularis sit, sive Regularis? & distinguendum esse, an Ecclesia vacans sit exempta, vel non exempta? quo posito &c. 1. Collatione communiter ad Episcopum & Capitulum pertinente, uno ipsorum effecto inhabili, alterum conferre, sic Bonifacius VIII. in c. unic. h. t. in 6. ibi: Si ad Episcopum & Capitulum communiter pertineat collatio præbendarum, mortuo Episcopo, vel à beneficiorum collatione suspensi, poterit Capitulum vacantes conferre præbendas, etiamsi Episcopus interesse habeat in collatione hujusmodi, ut Prælatus. Idem poterit Episcopus, si Capitulum ab ipsa collatione suspendi contingat, vel singulariter omnes de Capitulo majoris excommunicationis vinculo in nodari; & hæc decisio videtur indefinite accipienda quoad jurisdictionem, quando cu-

## 200 Tract. in Lib. III. Decretal. Quæstio IX.

cumulative est penes Episcopum, & Capitulum; Sic Layman in c. 11. h. t. in 6. n. 3. & alii.

855 Loquendo autem de Ecclesia non Episcopali (v. g. Collegiata, & non regulari) cuius Prælatus jurisdictionem in Clericos obtinet, censet Layman num. 4. Sede vacante jurisdictionem ejus non transire ad Capitulum, sed ad Episcopum, si talis Ecclesia non sit exempla; rationem dat; quia, si Prælatus inferior, Episcopo. Subjectus, jurisdictionem per consuetudinem legitimè præscriptam comparavit, cum præscriptio sit stricti juris, dicendum est potestatem, quam Prælatus acquisivit, ad Capitulum non transire, nisi & ipsum in præscripta consuetudine sit, ut vacante Sede jurisdictionem exercere queat: Sin autem speciali jure, seu privilegio Prælato concessa sit jurisdiction, tum nota est regula Canonistarum, ad Capitulum transire ea, quæ Prælato non communi, sed speciali jure concessa sunt: sic Layman cit. sed quoad hoc postremum punctum, V. num. 865.

856 Et hoc extendit etiam ad casum, quo Prælatura regularis vacat, si Monasterium sit Episcopo subjectum; volens in eo eventu jurisdictionem non ad Capitulum, sed Episcopum pertinere, in quo idem cum Layman sentiunt Imola in dict. c. 11. Joann. Andreas in c. 2. num. 3. de testamento. in 6. & Archidiaconus, quem allegat Felinus hic motivo 4. ubi ait: incutè locutum fuisse Dominicum in c. 2. de testam. in 6. quod secundum jura, conventus succedat Abbati in jurisdictione, nam secundum Archidiac. & Joan. Andr. Episcopus habet curam statu monasterii, vacante Sede, & ipse dat administrationem in temporalibus, & spiritualibus. Ratio potissima videtur, quod Prælato Ordinis Religiosi potissimum subiectant ratione voti obedientiae secundum S. Thomam in 2. D. 44. in fine: atque obedientiae votum præstatui ipsi Ordinis Prælato, non autem Capitulo, aut Priori claustral, ergo mortuo Prælato, potestas, & jurisdiction Prælati, per quam in virtute obedientiae, vel sub pena excommunicationis præcipere potest, non transit ad Capitulum, vel Seniorem, seu Priorrem.

857 De hac quæstione quoad potestatem

Capituli, regulari Sede vacante (mortuo v. g. Prælato) quidam Neotericus h. t. num. 17. sic loquitur: qua hic exempli causa de Capitulo Cathedrali diximus, de jure loquendo meritò extenduntur ad Capitula Ecclesiarum Regularium mortuo Prælato, vel alias Sede Abbatiali vacante, per textum in c. fin. de Regularib. in 6. & in Clement. ne in agro 1. §. si quis autem. in fin. de statu Monach. quandoquidem Capitulum Regulare non minus in jurisdictionem Abbatis succedit, quam Capitulum cathedralē in jurisdictionem Episcopi, immo potiori jure; cum redditus, & jura Abbatis nulla ratione sint distincta à redditibus, & juribus Conventus, sicutamen plures redditus, & jura Episcopi à Capituli juribus sunt diversa. Hanc sententiam ex Innocentio refert, & sequitur Panormit: in c. fin. num. 8. & 9. de statu Monach. P. Engl. h. t. num. 16. Tambur. de jure Abbat. tom. 2. disp. 1. q. 4. num. 5. ita illæ.

Verum hæc doctrina, sic indefinite accepta, non deducitur ex c. fin. de Regularib. in 6. sic enim ibidem loquitur Bonifacius VIII. si ad solum Abbatem pertinet creatio Monachorum, eo defundo nequibit novus Monachus à Conventu creari; alias poterit, si eorum creatio spectat in simul ad utrumque, ubi textus satis aperte loquitur de jurisdictione Abbati competente, sine concursu Capituli, ac devolutionem ejus Capitulo negat. Quod adducitur ex Clement. Ne in agro. 1. de statu Monach. §. si quis autem. in fine, sicut habet: Abbe autem, vel Prior, à collatione (ut premititur) beneficiorum suspenso, ad Priorem claustralem, cum consilio, & assensu Conventus, vel majoris partis ipsius, eorundem beneficiorum collatio devolvatur. Qui textus non videtur posse servire illi doctrinæ indefinite acceptæ. 1. quia textus expressè loquitur non de Religiosis, vel etiam Monachis in genere, sed de Monachis nigris, ibi: ne in agro dominico, sacra videlicet Monachorum nigrorum religione, &c. 2. quia agit solum de vacatione interpretativa, paenitenter inducta, ut aperte denotant verba ex §. si quis autem allata; 3. quia agit solum de collatione beneficiorum manualium, & administrationum Regularium. 4. solum agit

*In Tit. IX. Ne Sede vacante aliquid innovetur.* 201

agit de privatione, ac suspensione, quam superior Regularis facere potest vi Regularis disciplinæ. s. demum accipi potest textus solum in casu vacantis Prælatura Regularis *exemptæ*.

859 Nam, ut rectè notat Layman in c. quan-  
to. 7. dicitur offic. ordin. Regulares non exem-  
pti, duos superiores habent, ordinis Præ-  
latum, & Episcopum; sed discriminem est,  
quod Prælato ordinis obedire teneantur  
ratione voti obedientiae, in iis videlicet,  
qua ad regulares observationes, & disci-  
plinam Monasterii pertinent, quare in his  
magis est obediendum Prælato, quam  
Episcopo juxta doctrinam S. Thomæ in 2.  
*D. 44. in fine in expos. literæ. ad 3.* In-  
noc. hic num. 2. Abbas num. 5. & expli-  
cant Sylv. V. obedientia. q. 9. Sanchez  
lib. 6. moral. c. 1. num. 12. Et ideo Præ-  
latus ordinis potestatem habet, subditos  
suos Regulares ad regularem disciplinam  
adigendi, ut contumaces, & incorrigibili-  
les ejicere queat, utt. Innoc. Abb. Sylv.  
tradunt loc. cit. Sed Episcopo Regulares  
non exempti sub sunt, non ratione voti,  
sed ut alii Clerici legi jurisdictionis sub-  
jecti sunt, ut dixi in l. 1. tit. 2. quare in  
iis, qua ad Ecclesiasticam disciplinam atti-  
nent, & quoad punitionem criminum  
graviorum, præsertim, qua depositio-  
nem merentur, propriè, & directè sub-  
jiciuntur Episcopo, cum etiam ipsi Prælati  
non exempti in his subsint, uti advertit Syl-  
vester V. obedientia. q. 10. dicitur 2. Abbas  
in c. Si quis contra n. 51. de foro com-  
pet. Sanchez cit. loc. & alii, ita Layman  
loc. cit. Illud tamen videtur dicendum,  
etiam Capitulum succedere Sede regula-  
ri vacante, quando id habet talis ordo  
vi suarum constitutionum, approbata-  
rum à Sede Apostolica, vel præscriptio-  
ne, privilegio, usu longo legitime in-  
ducto &c.

860 Si quæras, an in civilibus causis, si  
Religious v. g. in Academia, studio-  
rum causâ degens, debitor fiat, coram  
Episcopo potius judicialiter conveniri  
debeat, quam coram Abbatे? r. quod  
coram Episcopo; nam Abbas esset Ju-  
dex in facto proprio; Cum solutio ex  
bonis monasterii fieri debeat: Sin autem  
monasterium, ad quod professus perti-  
nit, & ex cuius bonis solutio fieri de-  
bet, subjectum sit Abbatì alterius Mo-

nasterii, coram ipso æquè, ac coram E-  
piscopo conveniri poterit. Quare hoc  
casu Episcopus, & Abbas concurrunt in  
jurisdictione, utt. Innoc. & Abb. hic num.  
5. docent; his præmissis:

§. 1.

*Quid possit Capitulum Sede vacante  
quoad beneficiorum provisio-  
nem?*

861 R. 1. Collationem beneficiorum, qua 861  
sunt de jure solius Episcopi, &  
libera, non rectè fieri à Capitulo Sede  
vacante c. Illa 2. b. t. ibi: Cū nus-  
quam inveniatur causam in jure, quod  
Capitulum, vacante Sede, fungatur  
vice Episcopi in collationibus præben-  
darum: nec in codem casu potest dici  
potestas conferendi præbendas ad Capi-  
tulum per superioris negligentiam devo-  
luta; cum non fuerit ibi superior, qui  
eas posset de facto, vel de jure conferre.  
Nam collatio talium beneficiorum an-  
numeratur fructibus Episcopalis Præ-  
lature per Gloss. in c. Cum olim cit.  
fructus autem de jure communii futuro  
Prælato reservari debent c. fin. de offic.  
ordin. in 6.

Ex hoc deducitur 1. Capitulum Cathe- 862  
drale non succedere Episcopo, Sede va-  
cante, in jure conferendi beneficia libe-  
ra, seu collativa, quorum collatio ad  
solum Episcopum spectat ex cit. c. 2. De-  
inde quod Capitulum, Sede vacante,  
nec succedat Episcopo in potestate eli-  
gendi, vel præsentandi, qua proprie-  
spectat ad Episcopum. Nam talis elec-  
tio, vel præsentatio est quædam liberalis  
& gratuita concessio beneficii electivi,  
vel Patronati, qua respicit commodum  
Prælati, cui Capitulum Sede vacante de-  
rogare non debet, sic Garcia p. 5. c. 7.  
num. 52.

Deducitur 3. quod Capitulum non 863  
succedat Episcopo Sede vacante in col-  
latione beneficij liberi ad Episcopum de-  
voluti propter negligentiam Ordinarii  
Collatoris; ita Zoëlius hic num. 3. con-  
tra Joan. Andr. in c. Quanquam 18. de  
Elect. in 6. num. 1. quia talia beneficia  
sunt ejusdem rationis cum illis, qua jure  
proprio habet conferenda, præsertim,  
Cc cùm

202 Tract. in Lib. III. Decretal. Quæstio IX.

cum hoc posse non sit jurisdictionis ordinariae, nisi pro casu extraordinario, poenae scilicet constituta negligentibus providere beneficis tempore debito; & hoc extenditur etiam ad beneficia libera, quæ vacant per renunciationem, sic Barbosa in c. 2. b. t. num. 2. Extenditur 2. ad beneficia vacantia in Curia Romana, quæ Papa intra mensem non contulit juxta Barbosum in c. statutum 3. de præbend. in 6. num. 3. Azor p. 2. l. 3. c. 27. q. 7. In hoc autem calu tempus expressum (nempe mensis) currit à die vacationis, non scientiae, sed notitia, per Zerollam in praxi Episcopor. p. 2. V. Reservatio. vers. decimo, quia, licet tempus præfixum in negligentium odium non currat ignorantis, vel impedito; Secus tamen est, quando non in odium negligentis, sed in alterius favorem præscribitur, per Sanchezl. 7. matr. D. 37. n. 19. Dixi, libera.

864 Nam in beneficiis Patronatis quondam institutionem; & electivis, quod confirmationem (cum eorum provisio sit necessaria, non libera) Capitulum Sede vacante succedit Episcopo; Zoësius hic n. 3. ex c. 1. de Instit. in 6. ibi: sed etsi Capitulum Sede vacante beneficia, quæ ad collationem Episcopi pertinent, conferre non possit; præsentatos tamen à Patronis potest admittere, si sint idonei & eos instituere in beneficiis, ad quæ fuerint præsentati, licet ad Episcopum (si super esset) admissio, & institutio hujusmodi pertineret, c. 14. de Majoritate ibi: mandantes eisdem, ut cum Ecclesia Messan. vacet ad præsens, electionem suam confirmandam, præsentetur Capitulo Messanensi: Similiter Sede vacante Capitulum recte confert beneficium vacans, cuius provisio communiter, seu cumulativè spectat ad Episcopum simul, & Capitulum; Nam hoc propter Episcopi casum in jure suo non est impediendum Abb. in c. 2. b. t. num. 6. Constat ex ante dict.

§. 2.

An Capitulum Sede vacante succedat Episcopo in jurisdictione delegata?

865 Q uamvis, ut diximus num. 851. communis regula sit, quod Capitulum

omnia facere possit Sede vacante, quæ sunt jurisdictionis, praeter ea, quæ specialiter excepta sunt; hactamen intelligenti debet de jurisdictione solum ordinaria, non delegata, nec in illis, quæ competebant jure aliquo speciali, seu accidental; ita Doctores communiter, Quaranta V. Capitulum Sede vacante, Azor p. 2. l. 3. c. 39. q. 4. Nicol. Garcia p. 5. c. 7. num. 42. & alii. Ex quo sequitur 1. Capitulum, Sede vacante non posse executi commissionem Episcopo factam, etiamsi literæ commissionis ipsi præsentatae fuissent; sic Garcia cit. num. 44. nec peragere visitationes monasteriorum exemptorum, quæ ex commissione, tanquam delegatus Papæ visitare poterat Episcopus; Sic Garcia num. 45. Azor c. 37. q. 15. & alii, nec supprimere præbendas, aut portiones vigore Tridentini scilicet 24. de Reform. c. 15. Barbos. p. 2. allegat. 67. num. 3. Nec confirmatione donations juris Patronatus; idem p. 3. alleg. 71. num. 24. nec dare dimissorias ad Ordines infra annum à die vacationis, nisi arctatis, ut habetur in Trid. scilicet 7. de Reform. c. 10. ab hac tamen responsione excipe casum necessitatis exigentis, ut Capitulum exerceat actum jurisdictionis delegata Episcopali officio annexæ jure extraordinario; sic Quaranta in summa Bullarii V. Capitulum Sede vacante. vers. Quia in dies.

Dixi Capitulum Sede vacante succedere Episcopo in omnibus, quæ potest potestate ordinaria, seclusa speciali prohibitione, & ideo potest ad tempus commendare Ecclesias, sive beneficia; sic Azor p. 2. l. 3. c. 38. q. 8. instituere Clericos præsentatos à Patronis; sic Vivianus in praxi juris Patron. l. 12. c. 2. num. 6. confirmare electos recipere resignationes beneficiorum spectantium ad liberam collationem Episcopi. Barb. p. 3. de potest. Episc. alleg. 69. num. 8. Cognoscere, & assignare congruas portiones; Rebuffus in tract. Congruæ portionis num. 57. præstare autoritatem in permutationibus beneficiorum, Quaranta in summa Bullarii V. Capitulum Sede vacante q. 9. Dispensare cum illegitimis ad beneficium simplex, Zerola in praxi Episcopor. p. 2. V. Capitulum. §. 3. facere uniones beneficiorum, quæ ex causa facienda sunt.

sunt salvo semper jure Episcopali; Qua-  
ranta cit. q. 9. Concedere facultatem, &  
licentias, quas jure ordinario dare potest  
Episcopus; sic Azor. p. 2. l. 7. c. 5. q. 3.  
v.g. Curatis dare licentiam eundi ad stu-  
dia, Zerola cit. §. 2. ædificandi Ecclesiæ,  
ut acquiratur jus Patronatus, Barb. cit.  
allegat. 70. num. 32. Extero Episcopo,  
exercendi Pontificalia in Ecclesia vacan-  
te; Henriquez in summa l. 10. c. 22. con-  
cedere statuta pertinentium ad statum Eccle-  
siæ vacantis, non tamen in præjudi-  
cium Ecclesiæ, vel mense Episcopalis;  
Azor cit. l. 3. c. 37. q. 11.

**867** His adde, exequi defunctorum ulti-  
mas voluntates, in quantum spectat ad  
jus ordinarium Episcopi; Zerola cit. p.  
2. §. 9. visitare Diocesim, Quarant.  
cit. & Azor l. 3. c. 37. q. 14. Instituere  
confessarios, qui absolvant à casibus Epi-  
scopo reservatis, Azor q. 16. Cognoscere de causis arduis, Quaranta cit. Con-  
stituere Vicarium generalem in spiritua-  
libus, Zerola cit. p. 1. §. 3. *Quomodo*  
autem, *qualem*, & *quando* talen Vicari-  
um constituere oporteat? dicitur in  
Trident. *seff. 24. de reform. c. 16.* Simi-  
liter Capitulum Sede vacante potest assi-  
stere matrimonio celebrando juxta for-  
mam Trid. *seff. 24. de reform. matri-  
monii c. 1.* Exigere rationes ab admini-  
stratoribus piorum locorum, Zerola p.  
2. §. 9. Exigere subsidium charitativum;  
Barbosa p. 3. *alleg. 87. num. 13.* Con-  
cedere indulgentias, Azor cit. q. 9. de-  
ponere, & interdicere, & plura similia,  
de quibus Barbosa *inc. 2. h. t. a. num. 4.*  
Dispensare in irregularitatibus, juxta Tri-  
dent. *seff. 24. de reform. c. 6.* ut no-  
rat Barbosa *ibid. num. 4. &c.* Nam hæc  
omnia potest Episcopus, nec ista Sede  
vacante præstare prohibitum est Capi-  
tulo.

**868** Si quæras, quid possit Capitulum Sede  
vacante, quoad constituendos econo-  
mos, seu administratores in temporali-  
bus? *h. t. constare ex dij. a. n. 851.* nam  
(in Ecclesiis non regularibus) Sede vacan-  
te, etiam in temporalibus administratio-  
nem de jure communis, & ordinario spe-  
ciare ad Capitulum habet *c. 11. & 14.*  
*de majorib.* quamvis interdum ad hoc  
alius administrator constitui soleat; sic  
*Gloss. in c. unic. cod. in 6. & Pithing*

*Tom. III.*

*de Elec. num. 166.* Quare Laici, Sede  
vacante, non possunt, *Specie* *jure*  
*communi canonico*, jure sub (nisi habe-  
ant privilegium Papæ) in Ecclesiis ejus-  
modi constituerem administratores rerum  
temporalium ad eas Ecclesiæ pertinen-  
tium, etiam prætextu præscriptionis, aut  
consuetudinis etiam immemorialis. Nam  
contra jure divinum nihil potest præscri-  
ptio, aut ulla consuetudo. *c. fin. de con-*  
*fuet.* at res Ecclesiæ, & personarum  
Ecclesiasticarum à potestate Laicorum æ-  
quæ exemptæ sunt jure divino, ac ipsæ  
personæ Ecclesiasticae (ut ostendimus *l. 1.*  
*tit. 9.*) sine consensu Prælati Ecclesiæ-  
stici.

## ARTICULUS II.

*Quo sensu intelligendum sit, Sede  
vacante nihil esse innovan-  
dum?*

**R**atio dubitandi est, quia, cum Se-  
de vacante jurisdictio Episcopi de-  
volvatur ad Capitulum (ut dictum est  
*num. 851.*) multa fieri contingit Sede  
vacante, ex quibus videtur aliqua contra-  
rietas inferri inter has duas regulas in ju-  
re receptas, quarum prima est, *quod*  
*Sede vacante nihil sit innovandum;* &  
altera: *quod Capitulum Sede vacante,*  
*in jurisdictione, & administratione*  
*succedat Episcopo.* Sed *h. t. prime re-*  
*gule* sensum esse: quod nec à Capitulo,  
nec ab aliis quidquam Sede vacante sit  
innovandum *in prejudicium Ecclesiæ*  
*vacantis, & juris Episcopalis, nisi spe-*  
*cialiter sit permisum;* Secunda vero,  
quod Capitulum Sede vacante succedat  
Episcopo *in omnibus quoad jurisdictionem*  
*ordinariam, ac necessariam, nisi*  
*in aliquo specialiter sit prohibitum:*  
ratio sumitur ex dictis, ubi retulimus, que  
Capitulo, vel etiam aliis, jure permissa  
sunt, vel prohibita Sede vacante: hoc  
enim intellectu tollitur omnis earum con-  
trarietas.

*Quæstio exinde nascitur, an lis inchoata-  
ta contra Ecclesiam Sede vacante, per*  
*sententiam dirimi valeat, & lata tene-*  
*at?* de hoc agitut *c. fin. h. t.* nam cum  
Procurator Ecclesiæ S. Mariae de Castro  
forti, coram Prædecessore Honorii III. &

*Cc. 2*

*Epi-*

204 Tract. in Lib. III. Decretal. Quæstio IX.

Episcopo Burginensi, peteret dicta Ecclesiæ restitu liberatem, eligendi libere Prælatum, & Sede Burginensi vacante recepta fuissent super hoc depositiones testium: Pontifex, re intellectâ, eas duxit reprobandas, utpote tunc receptas, cum Ecclesia Burginensis careret defensore suo, id est Episcopo.

<sup>871</sup> Idem fere, habetur in c. *Novit ille* 1. h.t. ubi cum Innocentii III. prædecessor Honori III. Ecclesiam Glastonensem exisset in Cathedram, & Bathoniensi Ecclesia univisit in ejus præjudicium, ut Prior, & Conventus Glastonensis asserbat, perentes, ut *vacante tum per obitum Episcopi Ecclesiæ Bathoniensi*, ipsoque Rege, & Magistribus instantibus, unione penitus dissolutâ, Monasterium reduceretur sub antiquum Abbatis regimen: rescripsit Innocentius &c. quod *Episcopali Sede vacante, non debuit aliquid innovari; cum non sit, qui Episcopale jus tueratur: indulxit tamen, ut Episcopus Bathoniensis electus, jus suum, apud Sedem Apostolicam prosequendi, facultatem habeat, & interim sub cura Prioris Monasterii gubernatur.*

<sup>872</sup> Ex his iuribus deducitur, quod Sede Episcopali vacante nihil sit innovandum, immo nec ipse Papa quicquam innovet, quoad statum ejus in præjudicium, ut constat ex dict. c. *Novit ille*; quia non est, qui defendat jus Episcopale; ne plus personæ, quam Ecclesia tribuisse videatur; & ideo dissolutio unionis, Episcopatu facta, *isko vacante*, fieri non potest, ut tenet communis in dict. c. 1. & scribentes in *Clement.* 2. de reb. Eccles. non alienand. Si dicas, unio fieri potest Sede vacante, ex cit. *Clement.* 2. quâ scilicet Episcopatu unitur aliqua Ecclesia; ergo etiam ejus dissolutio. <sup>12.</sup> N. consq. nam per unionem nulli præjudicatur, secùs per dissolutionem; unitæ enim per unionem consultur, sic enim ejus exiguitas juvatur per eam, cui unitur; hujus autem authoritas amplificatur, præjudicatur unitæ per unionis dissolutionem.

<sup>873</sup> Deducitur 2. sententiam in lit. c. adversus Ecclesiam lite motâ, & inchoata, & Sede vacante laram contra Ecclesiam, non tenere, quia sententia lata contra Eccle-

siam indefensam, seu carentem defensore jurum Episcopalium, injusta foret; Unde etiam depositiones testium, Sede vacante contra talē Ecclesiam receptæ, reprobantur in dict. c. *fin. h.t.* quod verum est, licet Ecclesia vacet per renunciationem, ut tradit Flaminius de *Resignat. benefic. l. 1. q. 5. à num. 42.* quia adhuc stat, quod careat etiam tunc legitimus defensore; & quamvis hoc extendat Flaminius cit. etiam ad Abbates, & Priors triennales, quamdui novus non eligitur, id tamen nullo juris textu probat. V. dicta à num. 857.

Rebus suis tamen in praxi beneficiorum, <sup>874</sup> tit. de *Recusat. unionis*, num. 14. & ali censem, censi legitimum defensorem in Ecclesia Cathedrali, datum administratorem à summo Pontifice, habetur ex c. is, cui. 42. de elec. in 6. ibi: is, cui procuratio, seu administratio Cathedralis Ecclesiæ plena, & libera in Spiritualibus, & temporalibus, à Sede Apostolica (cui soli hoc competit) est commissa, potest (alienatione bonorum immobilium, duntaxat exceptâ, ) omnia (quæ jurisdictionis Episcopalis existunt) & quæ potest electus exequi, confirmatus liberè exercere; illa quippe, quæ ministerium consecrationis exposcent (nisi fuerit Episcopus) per alios faciat Episcopos expediri.

Deducitur 3. contra Ecclesiam Sede vacante, non currere præscriptionem ex c. *Auditis.* 15. de *prescript.* ubi habetur, quod Prælatus inferior possit præscribere in certis Ecclesiis sua Diocesis totum jus Episcopale; totum tamen tempus, quo vacavit Ecclesia Cathedralis, de præscriptione subducit; nam toto cōtempore, quo vacabat, sedes, indefensa fuit Ecclesia; nec attendere potuisse iuribus suis censi debet.

### ARTICULUS III.

#### De administratione Capituli Sede vacante.

**D**E hoc eventu quid statuerit Tridentinum <sup>875</sup> sif. 24. de *Reform.* c. 16. deduci potest ex ejus decreto à nobis integrè relato supr. à num. 852. Ex quo sequitur 1. ubi Capitulo Sede vacante incumbit munus

*In Tit. IX. Ne Sede vacante aliquod innovetur.* 205

munus percipiendi fructus, id debere fieri constituto economo uno, vel pluribus, *fidelibus*, uimurum, utres ipsæ, sive jura Ecclesiæ pro eo tempore conserventur in eo statu, quo fuerint; & non, ut lites de novo suscitentur, vel jam coepitæ continentur, dum Sedes ipsæ non habuerint Prælatum, & Pastorem.

Secundo, Capitulum Sede vacante infra 8. dies, à morte Episcopi, teneri eligere Vicarium idoneum, & unum tantum, ut volunt aliqui, nisi consuetudo immemorialis haberet contrarium; Quaranta V. *Capitulum Sede vacante* §. nono dubitatur; illo autem octiduo, ante electionem, Vicarii jurisdictionis administrationem esse penes torum Capitulum, tradunt Quaranta cit. Aloys. Riccius in praxi rerum fori *Eccles. post resolut.* 505. & alii.

Tertiò in casu, quo Capitulum negliceret *intra tempus prescriptum*, eligere Vicarium, jus deputandi Vicarium, in Ecclesia suffraganea tunc vacante, devolvit ad Metropolitanum *ex cit. decreto Trident.* num. 852. quod etiam procedit, si elegit, sed non idoneum; sic Quaranta in summa Bullar. V. *Archiepiscopi autoritas*; mortuo autem Vicario per Metropolitanum depurato, & Sede adhuc vacante, jus eligendi alium Vicarium foret penes Capitulum, quia privatum fuit eo, tantum *pro una vice*.

877 Præter hæc nota 1. ubi Vicarius eligetur in discordia, præferendum ex pluribus electis magis idoneum; & qualitatibus à Concilio requisitis Præditum; Sic Garcia p. 5. *de benefic.* c. 7. num. 23. dicens, sic esse decisum à Sacra Congreg. Hinc Doctor in Theologia, vel iure Canonico, maxime Academicus, non Doctori, vel etiam Doctori non Academico, ceteris pa-

ribus, præferendum esset; Barbos. in *dict. c. 16. Trid. num. 28.* imò Garcia in *addit. ad trans. de beneficiis.* p. 5. c. 2. num. 12. refert, decisum, existentibus Doctoribus in Capitulo, necessariò unum ex illis in Vicarium esse eligendum; alioquin deputationem ad Metropolitanum devolvi.

Not. 2. in dicto casu *Sedis vacantis* Capitulo liberum esse, vel confirmare pro Vicario Capituli eum, qui prius fuit Vicarius Episcopi; vel novum eligere; constat ex cit. decreto ibi: *Vicarium constitutere, vel existenter confirmare omnino tenentur*; & cum Vicarius tunc administret *vic Capituli*, in quo jurisdictione principaliter residet, posse ab eodem prescribi Vicario modum, tempus, ac limites jurisdictionis; Garcia cit. p. 5. c. 1. num. 37. Constitutum tamen *simplicer*, absque temporis præfinitione, non posset deinde absque causa, *ex mero arbitrio*, removere, propter jus eo ipso quæsum, ut duret durante Sedis vacatione.

Not. 3. Vicarium à Capitulo eligendum non esse de necessitate, ut sit de ipsis gremio; Si tamen adesset idoneus ex Capitularibus, cœteris paribus, præferendum esse extraneo, suadet decentia; sic Quaranta cit. §. *Sexto dubitatur.* In quæstione autem, an Vicarius Capituli possit exequi commissionem (v.g. dispensationis) directam Vicario Episcopi? Affirmativam quidem tenet Sanchez lib. 8. matr. D. 26. à num. 32. negativa tamen videtur verior, quia Capitulum (consequenter ejus Vicarius) non succedit Sede vacante, nisi in jurisdictione ordinaria; sic Bonac. de legib. D. 1. q. 3. p. 8. §. 1. num. 7. & alii. plura de his videri possunt apud Barbosam in c. 16. *Trid. eff. 24. de Reform.*



Cc 3

QUÆ-